

## **Ad Statas Ferias Genethliacas Germinantis Jesu, Florentissimae Vitis**

Rostochi[i]: Weplingius, [1685]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742502600>

Druck Freier  Zugang





T. 512

—

1685. Weihn.

~~A-1256~~ 43.

1685 20

AD  
STATAS FERIAS  
GENETHLIACAS  
GERMINAN-  
TIS JESU,



FLORENTISSIMÆ VITIS,  
*reverentissimè habendas*

RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

GEORGIUS RA-  
DOVIUS,

D. ET ANTECESSOR, FACULT. JURID. SENIOR,  
OMNES OMNIUM ORDINUM CIVES  
ACADEMICOS HONORATIS-  
SIMOS  
SOLENNITER COMMONET.

Rostochl,  
Typis JOH. WEPPLINGII, Univers. Typogr.

M-1256 43



Alve Christiani seculi perenne delictum & immortale decus JESU CHRISTE! admirabile coeli terraeque germen, Jessae flos, panomphaea salus, efflorescens & suavissimè spirans VITIS. Hoc quippe praeter ceteris glorioso amabilique nomine te blandius compellare nunc fas sit: cujus ipsemet autor es, cum *Job. XV.* te genuinam esse VITEM augustissimâ voce profiteris, quâ quàm concinnè in ortu, morte, reviviscendiq; aeterniori sorte tibi conveniat, planius explicare satagemus. Causa omnino aliqua subest, CIVES, quod non arduam cedrum, sublimè quercum, annosam ornum, proceram palmam, patulamve fagum; sed vitè semet professus sit Sospitator, summissam abjectamque primo quidem aspectu fruticem, sed quæ omnium praestantissimum saluberrimumque fructum & liquorum profert. Reliquit memoriae proditum *G.D.IV. c.9.* Alexander Neapolitanus, in citeriori, quam vocat, Germaniâ intra Danubium *vites* dari peculiari miraculo & admiratione praecipuâ, quæ claviculos ac plerumque candicantia folia è puro auro germinent simulque coalescant: quæ res difficiles causas explicatusque habeat, nisi quod è contagio terræ & glebæ, ubi hæc provenere, cum aurifodinas ibi esse certum sit, subtus in radicibus coalescere aurum, & unâ ingentium condensatumque occultâ vi & origine, dum germina emittunt, mirabili naturæ constituto aurum simul erumpere, & ita germina concipere frondesque aureas protrudere crediderint. Hoc, etsi fidem vix habeat, mirificum tamen mysticæ VITIS ortum aliquatenus adumbrare poterit, dum *homini coinfantiarum est* [Irenæi phrasi *l. 4. 75.*] VERBUM DEI, & aureo divinitatis fomento humanos complexum artus, in unam sanctissimè coaluit *Jesus Christus* personam, factumque adeo est coeleste terreno corpori commercium, prout cum vitæ succrescere aurum ab hoc scriptore traditur. Genethliacum istius VITIS florisque Nazaraei è trunco & radicibus Jischaj, seu stemmate regio Davidis ortum, & ex illo per conceptionem, nativitatemque floridum egressum, tenellis *furculi* & *germinis* vocibus divina oracula appositè designant. Vocatur in Propheticeis codicibus *Germen Jehovah*, s. aeternum aeterni patris *Germen*; *Es. IV. 2.* *Germen Davidis justum Jer. 33. v.* vel *fructus terræ*, utraq; sic convenienter

ter descriptâ natura, illic divinâ hic humanâ, cum, quod è virginis *εὐσταθίης* filia Davidis sanguine productum, (propter quod Christus ut homo per Mariam *germen Davidis* dicitur,) Jehova *operatus germinationem Jer. 33. 15.* univertit illi hypostasi, quæ ab omni æternitate fuit aureum *germen Jehovæ*, lumen de lumine. Eximiè huc collimat Kimchiana expositio, quâ *fructus terra Es. 4. 2.* applicatur promisso Messia, *qui in nativitate sua similis fuerit pulcherrimo germi quod non sine singulari jucunditate aspici possit.* Recensent monumenta annalium, quod *Astygæ* aliquando quietis temporibus existimaverit, genitili parte *Mandanes* filia enatam *vitem* eousq; crevisse, donec cunctas regni sui partes inumbraret: quodq; consulti prodigiorum interpretes *Cyrum à Mandane* procreandum clarissimum potentissimumq; fore arbitrati sint, uti nec fides dictis abfuit. Augustius longè multoq; magnificentius castissima signata virginis intactæq; puerperæ *Mariæ* alvus floruit, ceu è quâ prodiit pullulavitq; reapse amplissima *VITIS*, ab ortu solis usque ad occasum diffusa longè lateqve gratiosi imperii umbracula protendens. Perfacetum suppeditat etymon *vitis*, *Joan. Goropius Becanus Franciorum l. 1. p. 19.* è voce cimbrica *wyt/* vocali longâ longum latumq; signante, propterea quod *Es latissimè longissimeqve inter arbores sese diffundat, Es eum fructum det, quo hominis animus insigni Es latissimo crescat augmento;* ceterum mystico sensu non adeo inconveniens, utpote quò servator *VITIS* Apostolorum ceu palmitum latissimâ per omnes gentes propagatione regnum suum extendisse non immeritò dici potest. Serpit multiplici lapsu & erratico *vitis* novella, ut helicis assequatur quæ circumposita sunt, etiamsi longiùs distent: Superat fœcundâ capreolorum velut cincinnorum porrectione reliquas frutices, & tanquam regina ceterarum, eas arctis, ne subterfugiant, vinculis constringit: Jucundiùs longè ampliùsq; porrigit se & explicat salutaris generosæ *VITIS* gratia, omnibus apparens, & ad omnes morosos etiam difficilesve toto die extendens manû *Es. LXV. 2.* ut svavissimè teneat foveatq; quicquid isti amplexaturi amoris pronitati se non subtrahit. Enimverò vix ullus in latissimo terrarū orbe locus est, ubi blandissima cœlestis gratiæ prædicatio non sonuerit, allectura omnes omnino, qui humi jacētes, aridi, sterilesq; erant, ut palmitum more huic *VITI* insiti, hausto vitali liqvore,

imp̄erent in gēmmas, radēmos parturirent, inq̄; florentibus vineis  
fragrantissimum odorem dispergerent. Sic mirum in modum, inter  
primordia nascentis fidei, ad Apostolicam effloruit culturam collecta  
ē gentibus Ecclesia, cum primi ē gentili orbe flores egerminanti VITI  
insererentur, tres magi *Matth. 2.* Cananæ, Samaritana, centurio, plu-  
ribus aliis deinceps Apostolorum ceu vinitorum operā adductis, de qui-  
bus istorum princeps *1. Theff. 1. 6.* *Imitatores, ait, nostri & Domini facti estis.*  
Per jucundo ceteroqvi vinea nomine tam antiqvam synagogam, qvām  
novam quoqve Ecclesiam sapissimē in sacris exprimi complura loca e-  
vincunt, *V. Es. V. Ps. 80. 9. Jer. 2. 21. & Matth. 20. 1.* Non malē huc colli-  
neant illa ē schediasmate de montibus *Sina & Sion, rom. 2. operum Cypria-*  
*ni inserto p. m. 497.* Si Christus vitis vera: utiq; constat, quia & nos, qui in  
illo credimus & ipsum induimus. sumus vitis vera, quæ est vinea Domini-  
ca. & paulo post: *Vinea Dominica ac spiritualis, plebs est Christianorum,*  
*quæ custoditur jussu Dei Patris à puero Christo in ligni speculā exaltato.* Qui-  
bus consona sunt hæc Augustini *serm. 79. in Nov. Ecclesia, inqvientis, est*  
*tanquam vitis, crescendo ubiq; diffusa; hæretici autem tanquam sarmenta*  
*inutilia, agricola falce precisa, merito sterilitatis suæ, ut vitis putaretur, non*  
*amputaretur.* Elegantissimē omnium his suffragatur Bernhardus *serm.*  
*30. in Cantic. spirituali sensu vineas ecclesias i. e. fideles populos interpretat*  
*us: nec mirum, pergit, Dei enim edificatio est, Dei agricultura est, 1. Cor.*  
*3. 9. ipse fecundat, ipse propagat, ipse putat & purgat eam, ut fructum plus*  
*afferat. Non planē habenda neglectui, in quā Apostoli palmites, Dominus*  
*vitis, & pater ejus agricola est. In fide plantata, in charitate mittit radices,*  
*defossa sarculo disciplina, stercorata pœnitentium lacrimis, rigata predi-*  
*cantium verbis, & sic sanē exuberans vino, in quo est letitia, sed non luxu-*  
*ria, vino totius suavitatis, nullius libidinis. Lacrima pœnitentium vinum*  
*angelorum.* Dignum scitu ē Græcis traditur, amphispænam non fa-  
cile alio interimi ligno, qvām vite, qvōd à Dionysio creditur præmon-  
stratum, qvi, qvum confopitus jaceret, ab ejusmodi serpente assultante  
excitatus illi palmitem incussit, eumqve peremit, qvōd Nicander in  
*Ophiacō* notat. Cum ille fœdæ immanitatis serpens antiqvus primos  
mortalium auctores fœnebri inescasset malo, ut lethargo fœdissimi sta-  
tus stupefierent, & jam penitus nostra illorumqve salus collapsa esset,  
unicam

unicam opem atque medicinam hæc VITIS serpentis caput conculcatura attulit, nosque omnes è miserabili servitute in libertatem filiorum Dei asseruit atque vindicavit. Observat C. Rhodig. *L. A. l. VI. c. 16.* è collectaneis rei rusticæ apud Græcos, in viretis eorum amœnioribus *vitem* dici *theriacam*, quæ *πύραξ* ἢ *Ἰηταῶν δῆγμα* persanet: Hæc saluberrima VITIS unicè medebatur nobis, qui pestifero peccati veneno oblangventes haut aliter in integrum restitui poteramus. Insigniter & perquam magnificè fulserit aurea vitis quæ Alexandri augustale inumbrâsse, & sub quâ audiendis gentium postulatis rex vacâsse fertur à *Phylarcho*, citante *Gv. Bud. de A. & P. E. l. IV. p. 428.* prolixiùs descripta; multoq; eminētiùs exsplenduerit illa, quam pariter aureamin ipso cubiculo regio Persarū fuisse cōmemorant *Athenæus & Chares Mitylæneus*; gemmis insuper inclusis locupletata, ac velut pergula regio cubili obtensa, racemos pensiles è lapillis pretiosissimis aptos habuerit. Exoptatiùs nobis fuerit florido VITIS nostræ dominio initiatis, cum sponsâ mysticâ *Cant. 2. 6.* eadem cubile nostrum obumbrante frui, obtegiq; gratiâ nunquam dormitantis nictantisve Regis. Naturali & non fucato cornuscat hæc nitore, quem nec cœlum nec terra capit, licet in puerilibus fasciis abjectisq; crepundiis sanctissimo consilio istum celet & abscondat, nostri causâ in vile & obscurum bubile detrudi non averfata, ut nitidiores in cœlo pergulas nobis compararet. O venerandum & inenarrabile pietatis secretum, in quod vel Angelis volupe fuit introspicere. Nimirum nascitur Jesus, oritur origo rerum, generatur largitor generis, nascitur auctor naturæ, ut repararet naturam, genus redderet, originem recrearet. Peroportunæ delectationi sit, CIVES OPTIMI, sub umbrâ germinascēntis commorari VITIS, & *ἐπιθεῖσιν* Spiritus S. ac *Ἰπποκρίστου* virtutis altissimæ in humanæ naturæ progeneratione, consecratione, assumptione, adeoq; germinationem servatoris augustissimam piâ reverentia ruminari. Latemur de prærogativâ nostrorum temporum felicitate, cujus sanctissimo desiderio prisca quidem ætas flagravit, ejus verò expectationem non expleri: sed ad constitutum tempus differri sensit. Scitissimè in hanc rem loquitur Bernardus *serm. 40. in Cantic.* CHRISTUM in carne nasciturum & moriturum odoraverunt Propheta & Patriarchæ, sed non dederunt tunc odorem suum, quia non exhibuerunt in carne, quem

quem in spiritu praesenserunt. Dederunt autem postea, cum per successiones  
 generationum nascentem ex se Christum secundum carnem partu virgineo  
 seculis ediderunt. Tunc planè, inquam, spirituales illa vinea dederunt odo-  
 rem suum, cum apparuit benignitas & humanitas salvatoris nostri Dei,  
 & coepit praesentem habere mundus, quem pauci adhuc absentem praesense-  
 rant. Nobis nunc integrum est, quærenti anxie & sollicitè perscru-  
 tanti patrum veteris foederis coetui, an advenerit salus è Sione? exultan-  
 ter acclamare è Cant. 7. 2. 3. Agite, prodeamus: Floruit jam amœnissima Vi-  
 tis, aperuit se prima uva, egerminavit pulcherrimè pullulascens Sospi-  
 tator, cujus fragrantissima svavitas ad omnes vineas Dominicas festi-  
 vissimè fertur. Amplectamur lacrimantem in cunis, miremur im-  
 mensum universi dictatorem parvulum esse factum infantem, stupea-  
 mus in terrâ cœlum, in cœlo terram, in Deo hominem, in homine  
 Deum, & in universo seculo non capacem concludi corpore pusillo,  
 ne humilitas nativitatis reverentiam divinitatis imminuat. Adoremus  
 in carne verbum, in infantia sapientiam, in infirmitate virtutem, in  
 hominis veritate Dominum majestatis, in vitis humilitate auream di-  
 vinae gloriae eminentiam. Hilarè & libenter excipiamus florentissi-  
 mo jucundissimoq; conspectu exhibentem se nobis blandum servato-  
 rem. Grande nefas sit, isto germinante, nos vitiis marcere, odiis flac-  
 cescere, mutuis contentionibus exarescere & absumi. Promamus quæ  
 Deo sunt digna: quamvis enim omnium bonorū sit ipse largitor, etiam  
 nostræ tamen fructum pietatis quærit. Sint omnes animi cogitationes  
 cultæ mundæq; & frequentes parturiant malleolos respicientis animi,  
 sic digni VITE surculi erimus, eiq; amœniùs inseremur. Habemus in  
 nascente Jesu conspicuas, quas imitemur, virtutes, humilitatem,  
 mansuetudinem, comitatem, dum variâ puerilis ætatis necessitate  
 astringi, pannis involvi, fasciis devinciri, in præsepe deponi, huma-  
 nas deniqve infirmitates sustinere non erubuit: eò magis inde nostrarum  
 esse partium edocti, frenare voluptates ac domare, insolentiam &  
 fastum comprimere, motusq; inordinatos ab humanitatis & charitatis  
 officio alienissimos compescere, & sedulò id agere, ut tanquam palmi-  
 tes unius vitis, membra unius capitis, heredes unius salutis, vinculo  
 concordia lenitatisqve colligemur. Emolliant mitigentq; blandi-  
 tia

tia hujus VITIS, si quis in vobis est, CIVES ACADEMICI, rancorem animorum, sermonum amaritudinem, morum austeritatem: Neq; enim censuerimus, ubi sensus & memoria fuerit hujus sanctissimæ dulcedinis, locum iræ vel tristitiæ inveniri. *Vitis* oleæ amica esse perhibetur: pace delectatur tenerrimus pacis princeps, & hos, quilibet qui quieto; sunt spiritu, impensè amat, omnino detestatus feroces, qui palàm vehementerq; altercantur, litigatores, & qui inimicissimè sapius atq; infestissimè conciti ad rixam, non prius exaturare animum amarulentissimæ contentionis cupidum possunt, quàm in nervum eruperit impetuosior æstuantis iræ vis, & detestabilia feralis vindictæ vestigia reliquerit. Non VITI blandissimæ insertos se esse palmites hi ipsi produunt; sed folia marcida, putridos pampinos, spissosve dumos & horridos vepres, letalibus spinis pungentes, scrupulumque sibi metacercentes, qui dies noctesq; intemperiiis gravissimis pectus malè factorum conscium lancinet, agitet, & compungat. Faceffat illa ex animis amara radix & ferociens labrusca: industriùs cavete ab accendendis inflammandis aut fovendis jurgiis, ut mitissimus Jesus fidem ibi ad sancta opera efficacè propagare possit. *Viro sapienti*, concinnè Bernardus ait, *sua mens, sua conscientia vinea est: Nil quippe incultum desertumve in se sapiens relinquit.* Annotatum est à Plinio *N.H. l. 17.* & Palladio *de R. R. l. IX.* *Vitem* non ferre brassicam vicinam laurumve, ceu plantas maximè inimicas: Neq; JESUS noster cramben coctam recoctamq; nefandæ malitiæ, acorem veteris fermenti, aut jactantiam facinorose impotentia admittit. Miscella hæc VITIS ex omni gente sexuvelubentissimè amplectitur, quoscunq; cupidos sui videt palmites, eosq; sibi inferi patitur, ut spiritu regantur suo foveanturq;: Nam CHRISTI non est cui non est Spiritus Christi. Non omnes, qui *vitem* gerunt, centuriones esse, in proverbii loco dici solet; neq; verò quivis Dominum Christumve professus, tanto dignus duce miles fuerit, nisi ritè pugnaverit adversus mundum & carnales illecebras, & se ipsum sibi negaverit. Veteri de suppliciis lege Romanâ cautum erat, ut exteri milites severiùs everberarentur; cives autem *vite* plecterentur, quod à L. Floro ac T. Livio relatum, & à Scipione Africano, qui Numantiam sustulit, servatum; sed & Lucilium centurionem joco militari cognominatum  
(cedo


(cedo alteram) Tacitus scribit, quod fracta *vite* in tergo militis alteram clara voce & rursus aliam poposcerit. Moderationem adhibet in animadversione lenissimus Soter, nullam ignominiae notam peccantibus inustam volens, sed, ut consulat pudor errantium, comiter eos tanquam cives in viam gratiamque; reducit: Ideo enim apparuit humanitas & benignitas saluberrimae VITIS, apparuit gratia salutaris ut erudiat nos, pie, sobrie, decenterque vitam transigendam esse. Maecius l. *militum ff. de remilitari*: *Similes*, inquit, *vitem tenuit, militiam mutat, si ex industria fregit, vel manum centurioni intulit, capite punitur*: Pariter, quicumque detrectaverit molle cererique jugum Christi, militiam sacram mutare tenebitur, non servatoris amplius discipulus, lucisve candidatus, sed tortuosi demonis mancipium & sordidatus tenebrius futurus; quisquis vero plane proterva mente iteratis hujus VITIS ictibus monitisve scelestis atque impie refragari fategerit, hunc oportebit olim aeterno supplicio hanc pertinacitatem repugnantiam & morositatem severissime luere. Nulla a nobis poscit, quae haec conciliat gaudia, diviniore VITIS, vel *oscophoria*, vel *meditrinalia*, nullam *Iresonen* seu *pancarpiam*, nulla *thalysia*, seu *syncomysteria*, *pitægia*, *antibisteriave* nulla expectat, quibus gentilis impietas indulget; sed longe sanctius solidiusque gaudium, (conf. *Es. IX. 3.*) pacem, amorem, & uberrimos fidei efficacis fructus a nobis flagitat, hac praecipue festiva luce, quam memori colamus pietate, quomodo germinante hac VITE, nostra omnium salus viruerit, & congerminarit. Natalis CHRISTI temulentiae emortalis esto, & dum spirat suaviter sanctissima VITIS, expirent profana male feriatorum heluonum consilia pro miscendo ad applausum gulae vino aliove potu, ut vina salibus dulcibus preciose condita strenue vel uno haustu funerentur, protracto in noctem usque intemptam comessabundi contubernii strepitu, ne religiosissimum hocce tempus, quod a consecrata & salutiferi partus conscientia nocte dicitur, compositionibus sordida aetate vinoque madente nocte foedissime deformetur, neque ex Weihnacht fiat Wein-Nacht. Satius omnino erit, sobria pietate gustare, quam ivavis sit Dominus, dulcedine fruticantis arboris vitae commoveri, frondescentisque VITIS amoenitate affici, & ejus omni vino praestantioribus fervere amoribus *Cant. 4. 10.* spiritu laetitiae compleri, hymnis eucharisticis sacrisque modulationibus vacare, & actis sollemnissime gratias benignissimo Numini, quod ab ejus inexhausta bonitate daptilis proventus largissimae salutis in nos derivetur. Si hac ratione augustissima haec Eleutheria nostra, quibus peccati infamia liberavit nos Verbum caro factum, pensitaverimus, CIVES, angelicum praena laetis animis, grato corde, exultabunda voce concinere majore cum attentione poterimus: Gloria in excelsis Deo, pax in terra, & hominibus benevolentia.

P. P. Sub Sigillo RECTORATUS d. XXV. Decembr.

Anno parte salutis MDCCLXXXV.







unicam opem atqve medicinam hæc VITIS serpen-  
 ra attulit, nosqve omnes è miserabili servitute in  
 Dei asseruit atqve vindicavit. Observat C. Rhodi-  
 lectaneis rei rusticæ apud Græcos, in viretis eorum  
 dici *theriacam*, quæ πένταξ ἢ πελὸν δῆγμα persan-  
 VITIS unicè medebatur nobis, qvi pestifero peccat-  
 tes haut aliter in integrum restitui poteramus. I-  
 magnificè fulserit aurea vitis quæ Alexandri aug-  
 sub quâ audiendis gentium postulatis rex vacasse  
 tante Gv. Bud. de A. & P. E. l. IV. p. 428. prolixiùs  
 emineñtius exsplenduerit illa, quam pariter auream  
 Persarū fuisse cōmemorant *Athenæus & Chares Mit-*  
 per inclusis locupletata, ac velut pergula regio cu-  
 pensiles è lapillis pretiosissimis aptos habuerit. E-  
 florido VITIS nostræ dominio initiatis, cum spor-  
 eadem cubile nostrum obumbrante frui, obtegi  
 dormitantis nictantisve Regis. Naturali & no-  
 nitore, quem nec cœlum nec terra capit, licet in-  
 jectisq; crepundiis sanctissimo consilio istum cel-  
 causâ in vile & obscurum bubile detrudi non av-  
 cœlo pergulas nobis compararet. O venerand-  
 pietatis secretum, in quod vel Angelis volupe fi-  
 mirum nascitur Jesus, oritur origo rerum, gene-  
 nascitur auctor naturæ, ut repararet naturam, gen-  
 recrearet. Peroportunæ delectationi sit, CIVIS  
 germinascens commorari VITIS, & ἐπιλάσσει Spir-  
 virtutis altissimæ in humanæ naturæ progenerati-  
 assumptione, adeoq; germinationem servatoris a-  
 verentia ruminari. Latemur de prærogativâ no-  
 felicitate, cujus sanctissimo desiderio prisca quide-  
 verò expectationem non expleri: sed ad constitu-  
 sensit. Scitissimè in hanc rem loquitur Bernardus  
 CHRISTUM in carne nasciturum & moriturum odor ave-  
 arcba, sed non dederunt tunc odorem suum, quia non

culcatu-  
 filiorum  
 16. è col-  
 pus vitem  
 berrima  
 langven-  
 perquam  
 brasse, &  
 archo, ci-  
 multoq;  
 uloregio  
 mis insu-  
 racemos  
 bis fuerit  
 ant. 2. 6.  
 unquam  
 nascat hæc  
 ascis ab-  
 lat, nostri  
 diores in  
 narrabile  
 ere. Ni-  
 generis,  
 originem  
 b umbrâ  
 σιασµόν  
 ratione,  
 n piâ re-  
 nporum  
 vit, ejus  
 differri  
 n Cantic.  
 & Patri-  
 in carne,  
 quem

